







TRACTATUS  
HISTORICO-CHRO-  
NOLOGICI  
DISSERTATIO SECUNDA,

Pro  
Ratione duorum Testamento-  
rum, *secundum prius & posterius*, Temporis successio-  
nem distinguens, *diversitatem primæ Mundi periodi remonstrans*,  
discrepantiæ calculorum *causam*, initiales Æræ Christianæ  
*notationes antiquitatis usitatas recensens*, & quæ  
ejusmodi sunt generis, diluci-  
dans.

*Quam*

TRIBUS PERICOPIS

Absolutam

SUPERIORI

*adjevit*

JOHANNES LUDOVICUS RUELIIUS,  
Ecclesiæ a Divinis Elogiis, Sacrisque  
Mysteriis,  
Myta & Interpres.

---

Ære Exscriptoris officiali, ÆRÆ CHRISTIA-  
NÆ ANNO 1665.



*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'HISTORICAL', 'DESCRIPTION', and 'TABLE']*





TRACTATUS  
HISTORICO-CHRONOLOGICI,  
De  
*Variâ computandi ratione ævum hujus  
Universi,*

DISSERTATIO SECUNDA.



Ostqvàm in superiori  
discursu actum est de diversitate rati-  
onis, qva Poetarum, Philosophorum,  
Rabbinorum, S. Patrum & Theologo-  
rũ nonnulli, tempus metiuntur pro pe-  
culiari cujuscunqve modulô, expendemus impræsenti-  
arum, qvæ ejusdem sunt generis. Quod ut feliciter  
succedat, commodeqve præstetur, DEUM TER OPTI-  
MUM, MAXIMUM, quem jam à primordiis  
compellavimus, in vota vocamus, lar-  
gissimamqve Ipsius opem implo-  
ramus, verbis con-  
ceptis :

*Da facilem eursum, DEUS, & da fluminis auram!  
Vergat ut in laudem Litera quæq, tuam!*

DISSERTATIONIS II.  
HISTORICO-CHRONOLOGICÆ  
PERICOPE I.

*ubi ex ordine temporis Testamenta secundum prius & posterius distinguuntur, eorumque dualitas a framento fallacis opinionis vindicatur.*

§. I.



Res constituit ætates Mundi, ut audivimus, climactericas magnas. *DOMUS* illa *ELIZ*, quarum singula duo continet millia annorum. *Priora* illa bis duo annorum millia complementum suum habent in *VETERI*, quod respiciunt maximè Talmudistæ *ELIANI*, *TESTAMENTO*. Posteriora duo millia temporis reliqui, quod est *dierum MESSIÆ*, pertinent ad *NOVUM*, quod *prius* excipit *FOEDUS*.

§. 2. Inde est, quod Scriptores Ecclesiastici Veteres, Beroaldo asserente, *Lib. 4. Chronic. cap. 2. pag. 249.* tradant: Tempus considerari, *velvatione* *MUNDI* *INCHOATI*, per creationem, vel *INSTAURATI*, per salutis recuperationem, atque respondere *INITIIS* *Mundi* *nati* quodammodo tempora *mundi renati*. Illud ab ismet scribitur duratio annorum quatuor millium, ab initio seu exordio Mundi ad *CHRISTUM*: Hoc duratio reliquorum annorum, à *CHRISTO* nato, salutis Reparatore ac hostium infernalium domitore, ad finem seculi. *Leg. D. Joh. Himmeli. Chronolog. Biblico-Ecclesiastic. pag. 224. & pass. poster. Memorial. Biblio-special. pag. 227.*

§. 3. Descenderunt quidam è *Vetustioribus* in eam *hyperboræ*



perbolem, ut non duo tantum esse Testamenta statuerint, sed tria à se invicem distincta confinxerint. Primum adscribebant seculo Patriarcharum usque ad Moysen, idque solà lege Natura, ejusdemque observatione constituisse, & hoc pacto Patriarchas salvatos fuisse contendebant. Alterum Testamentum seculo Moysis includebant, in quo Lex Moysis in monte Sinai publicata viguit, cujus observatione Israelitas salvos factos esse dixerunt. Tertium denique & ultimum proprium CHRISTI esse statuebant, qui novam quendam Legem promulgaverat, cujus obsequio deinceps homines salvari oporteat. Sententia hujus Fautores fuisse feruntur Justinus Philosophus & Martyr, Juxta ac Clemens Alexandrinus. Leg. D. Leonhard. Hutter. in Loc. Theologicæ, artic. XV. de discrim. Veteri, & Nov. Test. cap. 2. clasf. Errantium, 2. fol. 499. Verum enim vero duo duntaxat ex ordinatione DEI esse Testamenta, LEGIS scilicet & MESSIÆ, quorum hoc NOVUM, illud VETUS dicitur, manifesta evincunt Sac. Scripturæ loca. Jerem. cap. 31. v. 31. Matth. c. 26. v. 28. Marc. c. 14. v. 24. Luc. cap. 22. v. 20. 1. Corinth. c. 11. v. 25. 2. Corinth. c. 3. v. 6. Et duo hæc Testamenta in conjugibus Abrahæ præfigurata fuisse Apostolus disertè attestatur, Gal. cap. 4. v. 24. UNUM quidem à monte SINAI in servitutem generans: Alterum verò ex monte SION, in libertatem asferens. Sic & in Epistolâ ad Hebræos integrum quasi commentarium de utriusque Testamenti diversitate & naturâ pertexit, factâ oppositione inter PRIMUM, quod est VETUS illud, & POSTERIUS, quod est NOVUM TESTAMENTUM, MOYSEN simul ac Veteris, CHRISTUM autem Novi fœderis MEDIATOREM nuncupans, HUNC quidem TESTAMENTI MELIORIS, cap. 7. v. 22. cap. 8. v. 6. cap. 9. v. 15. cap. 12. v. 24. Quin hoc ipsum MELIUS TESTAMENTUM.

A 3

TUM.

TUM. cap. 10. v. 28. Κατ' ἐξοχὴν simpliciter nominat, & ÆTERNUM ratione præstantiæ suæ & effectûs. cap. 13. v. 20, Unde duo tantum esse Testamenta istis præsuppositis infallibiliter evincitur, *Vetus* nimirum & *Novum*. Ubi enim prius & posterius datur, ibi duo dari promptum est certò colligere. Ubi bonum etiam est & melius, ubi deniq̄ve alicujus habetur finis, & alteri tribuitur aternitas, ibi simplex unitas locum habere nequit, sed feruntur distincta ratione durationis & effectus. Neq̄ve aliquid respectu sui ipsius ad idem diversos istos comparationis gradus admittit, sed hi inter duo necessariò existunt, tertio exclusò.

§. 4. Rectissimè igitur totum complexum temporis secundum duo illa Testamenta dispescitur in *SECULA PRIORA* & *POSTERIORA*. *PRIORA* dicuntur illa, quæ sunt *Veteris Testamenti*, ab orbe condito ad *CHRISTVM* usque, mundi Redemptorem. *POSTERIORA* autem, quæ sunt *Novi Testamenti*, ab adventu *CHRISTI* in carnem, usque ad ipsius reditum judicaturi vivos & mortuos, quæ propterea & tempora *novissima* in Sacris Literis appellantur. Esa. cap. 2, v. 2. 2. Timoth. cap. 4, v. 1. & 1. Johan. cap. 2, v. 18. quòd imposterum, constitutò jam Ecclesiæ per *CHRISTVM DOMINVM ultimò Testamentò*, nihil sit nobis expectandum præter eum diem, quo Mundi hujus concludetur scena.

## DISSERTATIONIS II,

## PERICOPE II,

*Quæ exhibet Beroaldi Exegesin priorum temporum Epochas adstantis & determinantis, exponitq̄ diversitatem calculorum circa primam Mundi periodum, adductâ istius discrepantiæ causâ.*

§. 5. In

## S. 5.

**I**N priorum temporum expositione, qua occupatus est Peroaldus, operosus Chronographus, hunc, quem ipse indigitat in *Chronic. Lib. 2. cap. 4. de Temporum summariâ partitione. pag. 84.* Servat ordinem haud negligendum. *Primo Loco* agit de eò seculo, quod diluviô sustulit DEUS, quodqve annos habet mille sexcentos quinquaginta & sex. *Deinde* scribit de illo seculo, quod est *proximè infecutum diluuium*, in discessu verò *Abrahami ex Carris terminatum*, promissione DEI, Abramo de MESSIA factâ, illustre, quod tempus calculô ipsius habet annos quadringentos viginti septem. *Tertium* Veteris Testamenti seculum computat ab eâ promissione Abramo datâ, ad *Legem DEI* in monte *Horeb* cum tonitru *publicatam* & promulgatam, quod est *annorum quadringentorum & triginta*. Persequitur postea illud seculum, quod à *Lege latâ* se extendit usque ad *Templi per Salomonem extructi jacta fundamenta*, quodqve, secundum illum, contineat *quadringentos & octoginta annos*. Inde à *Templo Salomonico* fundato ad *populi captivitatem Babylonicam* perducit *quintam* Veteris Test. *Epocham*, quæ complectitur *annos quadringentos & octo*. Deinceps *Babylonica captivitatis terminum* explicat, qui est *septuaginta annorum*. *Postremò* Danielis *Hebdomades septuaginta* declarat, quæ *annis quadringentis & nonaginta* absolvuntur & in morte *Messiae* terminantur. Confer, quæ adnotata sunt *Sylog. 2. Superioris Dissertation. §. 32. & Sylog. 3. §. 36.*

§. 6. Mirè, cum in evolutione temporis primi illius seculi, à *Mundi conditu* ad *diluuium* usqve magna reprehendatur calculorum diversitas, computistæ distrahuntur. QVI FONTEM, ut par est, sequuntur HEBRAICUM, ex *Patrum*  
primo-

primorum generationibus & vitis annos mille sexcentos quinquaginta & sex ab origine orbis usque ad diluuium deducunt. Aliter verò SEPTUAGINTA INTERPRETES, qui in Patrum antediluvianorum generatione primâ, secundâ, terciâ, quartâ & quintâ dissentiant ab Hebraicâ veritate, cum in singulis his generationibus centum addunt annos. In sextâ quidem generatione utriusque codices (Hebraeus & Græcus) consentiunt, conveniuntque in decimâ: In Septimâ verò Interpretes Græcicentum iterum addiderunt annos. In Octavâ detraxerunt annos viginti: Contrâ addiderunt in Nonâ generatione sex annos. Adjectorum itaque anni 606. sunt. Quoniam verò à generatione octavâ annos viginti detraxerunt, reliquuntur 586. anni, qui simul juncti cum annis Codicis Hebræi. M. DC. LVI. efficiunt annos MMCCLII. Hoc ut intelligatur, operæ precium esse ducimus, id subsequente Schemate manifestum facere.

## TEXT. HEBRAIC.

## SEPT. INTERP.

		Gen. cap. 5.		
Adam genuit	Seth. an. ætat.	130.		230.
Seth — —	Enos — —	105.		205.
Enos	Cainan.	90.		190.
Caian	Malaleel	70.		170.
Malaleel	Jared.	65.		165.
Jared	Enoch.	162.		162.
Enoch	Mathusalem.	65.		165.
Mathusalem	Lamech.	187.		167.
Lamech	Noë,	182.		188.
Noë genuit	Semum an. ætat.	600.		600.

An. sunt 1656. † Summ. an. 2242.  
 Errot, quod Septuaginta interpretes, ab Adamo, primo ho-  
 mine

mine, usq; ad diluuium Noe tempore factum, colligit quoque annos, 2242. Magnus Aurelius Cassiodorus, irruisseque diluuium scribit, in *Chronico* ad Theodoricum Regem, *Oper. Politic. pag. m. 674.* propter nimiam Gigantum feritatem, qui corporis magnitudine, pari que animi sauitia prevalentes, humanitatis jus omne confuderunt. Epochas ab origine Mundi secundum LXX. Interpp. consueverunt & alii veteres Ecclesie Doctores supputare. Eandemque enumerationem etiamnum approbare Romanam Ecclesiam, in *Martyrologio 11X. Kalend. Januar.* ideoque preferri debere illam calculo Hebraici Textus, ex Card. Cesar. Baronio, in *Apparat. ad Annal. Ecclesiast. n. 118.* sollicitè contendit Morinus, *Exercit. 7. cap. 1. sq.*

§. 7. Quis autem nec non mirabitur Romanam Ecclesiam, auctoritatem & contradictoria simul statuentem & auctoritate sua confirmantem? Quandoquidem in Versione vulgata computus annorum Patriarcharum institutus sit secundum Hebraicam veritatem, quam Concilium Tridentinum. *Sessio. 4. decreto. 2.* declaravit authenticam, quam Ecclesia Romano-Catholica suscepit, quamque mirè commendant Franciscus Ximenius, Cardinalis Teletaeus, in *Prefation. Biblior. Complut. Azorius. Lib. 1. Instit. cap. 3.* Sacroboscus, in *Defens. Decret. Tridentin. part. 2. cap. 9.* Melchior Canus, *Lib. 2. Locor. cap. 13.* pro cuius auctoritate tanquam pro aris & focis dimicant strenui Pontificie Sedis promachi, Ludovicus de Tena. *Isagog. ad Scriptur. lib. 1. diff. 6. Sect. 1.* Joannes Tiedo, *lib. 2. cap. 1. de Eccl. dogm.* Card. Robert. Bellarminus, *lib. 2. de Verbo DEI cap. 10.* Jacob. Gretserus *Def. Bellarm. Controv. lib. 2. cap. 10. pag. 537. 541. sq.* Franciscus Titelmannus in *Prologo Apologetico pro Edit. Vulgat. Andreas Viega Lib. 15. in Concil.*

*Tridentin. cap. 9. Lindanus Lib. 1. de Optim. genere Interp. Jodocus Tiletanus part. 1. Apolog. pro Concil. Trident. Johan. Stephanus Menochius in Præfat. Annotat. ad Bibl. cap. 17. 18. Martinus Becanus part. 2. Theolog. Scholastic. Tract. 1. cap. 3. de s. Scriptur. quæstion. 2. Tom. 1. opero fol. 297. a. Et in Manuali Controversiarum Lib. 1. cap. 1. quæst. 2. Tom. 2. oper. fol. 1392. Stapletonus in Relect. princip. doctrinal. fid. controvers. 50 quæst. 3. artic. 3. Bonfrer. in Prælog. Sacr. Scriptur. Gordanus Con-  
 trov. de Verbo DEI, cap. 15. sq. quorum argutias discussertunt Do-  
 Theologi nostrates in contrarium disputantes, D. Martinus Chemnitius part. 1. Examin. Concil. Tridentin. ad decret. 2. Sess. 4. pag. mo  
 102. Leonhard. Hutterus Loc. Theologic. Loco de Sacr. Scriptur. part. 2. quæst. 3. general. propos. 3. fol. 40. b. Joh. Gerhardus Confession. Ca-  
 shollic. part. 1. lib. 2. art. 1. cap. 2. pag. 335. Michaël VValtherus in Of-  
 fici. Biblic. Repos. 1. Theol. 4. artic. 5. §. 427. sq. pag. 344. Casp. Erasmi  
 Brochmannus Tom. 1. Systemat. Theol. Loc. de Sac. Scriptur. cap. 2. quæst.  
 12. pag. 42. sq. Balthasar Rhavv Sect. 1. cap. 2. de Biblior. editionib.  
 Papatûs Conciliis denudat §. 4. pag. 26. sq. Abrah. Calov. Commentar.  
 Apodictico-Elenchic. in August. Confession. part. 1. c. de Autoris. Vulg. Verison  
 pag. 512. sq. Philip. Henr. Friedlieb. Theol. Polemic. Loc. de Sacro  
 Scriptur. quæst. 20. pag. 65. Henric. Eckhard. part. 1. Pandect. Controv.  
 cap. 1. de Sac. Script. quæst. 7. pag. 37. E Reformatis, Amandus Po-  
 lanus à Polansdorff Syntagm. Theol. Christian. Lib. 1. cap. 42. pag. m. 266.  
 Guilielmus VWhitakerus Dispat. de Sac. Scriptur. Controv. 1. quæstion.  
 2. cap. 7. Tom. 1. oper. fol. 382. sq. Guilielm. Amesius Tom. 1. Bellarmi-  
 ni enervati, Tit. 1. de Verbo DEI, cap. 3. th. 4. sq. pag. 22. sq. Marc. Eride-  
 ricus VVendelin. Lib. 1. Christian. Theol. cap. 3. Prolegom. de Sac. Script.*

*Explicit. Th. 2. Pag. 17.* Si autem Pontificii & hanc Latinam vulgaram, ejusq; computationem annorum Patriarcharum antediluvianorum ad seriem Ebraici Textus factam, & illam Græcorum à Fonte deviam, pro veris habent, necessum erit, ut credant, duo contradictoria simul consistere posse. Adactus hic atque constrictus præprimis Morinus, qui & calculum *Græcæ Verſionis* ab ipsis *Interpretibus LXX.* (quos ipse Θεόπνευστος credit) profectum esse, ac tanquam *verissimum* ab Ecclesiâ Romanâ susceptum & approbatum, & contendit tamen, *Vulgatam etiam Verſionem Latinam*, pro ut approbata est à Concilio Tridentino, quoad omnes sui partes Θεόπνευστος esse, ideoque quicquid ad Eam pertinet, *necessariò sanum & verum* agnosci debere, quum Spiritus Sanctus nulla errata, quantum libuerit, levia committere possit, propterea Φίλοποις quibusdam singulariq; sydxæ medullâ opus esse fatetur, quibus à se invicem tam disſtra in mutuam gratiam redocet, ut constet Ecclesiam falsa nunquam approbasse, & UTROSQUE INTERPRETES DIVINITAS AFFLATOS translationes suas nobis edidisse. Credit itaq; Morinus in gratiam Ecclesiæ, duo contradictoria simul esse vera, aliisque id persuadere nititur. Haud abſimilis in hoc Judæis, de quibus Johann. Buxtorffius in *Synagoga. cap. 3. pag. 69.* ex Thalmude narrat; *Rabbinorum dicta & scripta omnia infallibilis esse veritatis, hocq; eorum axioma;*

SI DUO RABBINI inter se contendant & SERMONES CONTRADICENTES proferant, credendum, UTRAMQUE SENTENTIAM DEI VIVENTIS ESSE. Hinc etiam fit, ut sapius in Talmude iteretur, quando duo Rabbinii in contrarias sententias abeunt, neminem obloqui debere; Utrumque enim doctrinam suam accepisse מקבלים משור מסבי Mikkabalah Mosche misinai, per traditionem oralem Moysi à monte Sinai. Ac licet alius intelligentiam & ratione ea comprehendere non valeat, non tamen sigillanda esse ajunt: Singuli namque Rabbinorum noverunt & intellexerunt, cur ita sint locuti, כי אלו ואלו דברי אלהים חיים Keelu veelu dabhre Elohim Chajim, Amborum verborum verba (et si contradictoria). VERBA SUNT DEI VIVENTIS, Idem Buxtorff, d. l. & c. 4, pag. 72. Cætera, quibus viam sternere conatur Morinus ad conciliationem præparandam τὸν ἀντιφασμῶν, prostrata vide sis apud Calovium in Commentar. Apodictico. Elenchico in Augustan. Confession. Tom. 1. Loc. de Version. Græc. LXX. Interpp. pag. 793. seq.

§. 8. Unde nata sit illa calculorum Hebraici Codicis & LXX, Interpretum diversitas circà Patriarcharum antediluvianorum annos, acerrimè disceptatur inter Scriptores. Quilibet heic suò abundare vult iudiciò. Nos subscribimus D. Augustino, Lib. 15. de Civ. DEI cap. 13. haud abs re existimanti, hanc annorum differentiam irrepsisse in Græcos Codices culpam illius Amanuensis, qui primus ex originali LXX. Interpretum versione transcripsit, ac ita facillè in alios Codices emanasse. Isq; quisquis ille fuerit, qui ex famosâ PTOLOMAEI PHILADELPHI Bibliothecâ corruptionem Textus induxit, probabiliter creditur de industria aliquibus generationibus quosdã detraxisse annos, eam ob causam, quod, ne tam proluxa vitæ diuturnitas primorum hominum apud Gentiles



riles fictitia putaretur, existimaverit, aut ab aliis æstimari vo-  
luerit, annos priscorum illorum hominum fuisse brevissi-  
mos, ita ut *decem* ex ipsis, *unum* ex nostris facerent, Angusti-  
no Tornielo, *Novariensi*, conijerente, *Tom. 1. Annal. ad an-  
num mundi 137. fol. 63. a. Confer. fol. 97. a.* Antea laudatus  
Aurelius Augustinus, Hippon. Episcopus, nonnullos refert  
*d. l. de C. Dei cap. II.* fidem derogare nolentes Codicibus Græcis  
dixisse Mathusalem, etsi non in terrâ, ubi omnem carnem,  
quam vivere in aquis natura non sinit, constat esse dele-  
tam per diluvium, cum Patre suô, qui translatus fuerat, ali-  
quantum fuisse, atq; ibi, donec diluvium praterirer, vi-  
ram degisse. At ipse, tametsi aliàs impensè Græcis additus  
Codicibus, non dubitat heic universum computum repre-  
hendere in Græcâ editione, quum vel Scriptoris errore, vel  
fraude nonnullorum *μωροβίων* Patriarcharum antago-  
nistarum irrepsisse docet, *lib. 101. cap. 13.* Inter alia hæc habet:  
*Itaq; illa diverfitas numerorum aliter se habentium in Codicibus  
Græcis & Latinis, aliter in Hebraicis: Ubi non est ista de cen-  
tum annis prius additis, & postea detractis, per tot generatio-  
nes continuata paritas, nec malicia Judæorum, nec diligentia  
vel prudentia Septuaginta Interpretum, sed SCRIPTORIS TRIBUA-  
TUR ERRORI, qui de Bibliotheca Regis Ptolomæ Codicem descri-  
bendum primus accepit. Tom. 5. op. fol. 458. C.* Traxit igitur  
inde originem in supputandis Mundi annis Græcorum ana-  
chronismus, & hac falsatione (ut ita loquar) Chronologi-  
am sacram seducti perturbarunt gravissimè, contradixerunt  
& apertè enumerationi Spiritûs Sancti, qui numeratos volu-  
ère à condito mundo usq; ad diluvium 2242. annos, cum  
Spiritus S. tantum numeret 1656. annos. Erratum esse in eo  
notat & Hieronymus *Quæstion seu Tradit. Hebraic. in Genesin.*

B 3

Tom



Tom. 8. oper. fol. 305. Sciendum, inquit, quod usq; ad dilu-  
 vium, ubi in nostris Codicibus, ducentorum, & quod excurrit,  
 annorum genuisse quis dicitur, IN HEBRÆO habeat centum  
 annos, & reliquos, qui sequuntur: *Fuerunt autem dies Adam,*  
*postquam genuit Seth, septingenti anni.* Quia in ducentis erra-  
 verat, consequenter hic posuit septingentos: Cum in Hebræo  
 habeatur, *ostingentos & supra centum.* Et vixit Mathusala  
 annis *centum sexaginta septem*, & genuit Lamech. Et vixit  
 Mathusala postquam genuit Lamech *annos ostingentos duos,*  
 & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusala,  
 quos vixit, *anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est.* Men-  
 tionem facit deinde Hieronymus d. l. quæstionis famosæ,  
 qua interpretum & Dd. olim defatigarunt & torserunt inge-  
 nia, quomodo Mathusala quatuordecim annos *post diluvi-*  
*um vixisse referatur,* & verum tamen sit, quod i. Petr. cap. 3.  
 v. 10. dicitur; *OCTO tantum animas in arcâ salvas factas*  
*esset.* Etenim cum esset Mathusala *annorum 167.* (Secundum  
 LXX. Interpp.) genuit Lamech. Rursum Lamech cum es-  
 set *annorum 188* (Secundum Eosdem) genuit Noë. Et fi-  
 unt usq; ad diem nativitatæ Noë *anni vitæ Methusala 355.*  
*Sexcentesimo autem anno vitæ Noë diluvium factum est.* Ac  
 per hoc habitâ supputatione per partes. 955. anno Mathusala  
 diluvium fuisse convincitur. Cum autem supra 969. annis  
 vixisse dicatur, sequitur. cum *quatuordecim annos vixisse post*  
*diluvium.* Quia verò arcam non ingresus est, neq; ceriò  
 constat, illum extrâ arcam miraculo conservatum fuisse,  
 concludit ex hoc invictè Hieronymus, quòd, ut in plerisq;  
 Græcæ Editionis, ita & in eo error sit calculi. Cum, inquit,  
*Mathusala annorum centum sexaginta septem genuit Lamech,*  
 rur-



rursum Lamech, cum esset annorum centum octoginta octo, genuit Noe, & fiunt usq; ad diem natiuitatis Noe anni vita Mathusalah trecenti quinquaginta quinq;. Sexcentesimo autem anno vita Noe diluuium factum est, ac per hoc habita supputatione per partes, nongentesimo quinquagesimo quinto anno Mathusala, diluuium fuisse convincitur. Cum autem supra nongentis sexaginta novem annis vixisse sit dictus, nulli dubium est, quatuordecim eum annos vixisse post diluuium. At quomodo verum Est, quod octo tantum anima in arca saluæ factæ sunt? Restat ergo, ut quomodo in plerisque; ita & *IN HOC SIT ERROR IN NUMERO.* Siquidem & in Hebrais & Samaritanorum libris ita scriptum reperi; *Et vixit Mathusalah centum octoginta septem annis, & genuit Lamech, septingentos octinginta duos annos, & genuit filios & filias, Et fuerunt omnes dies Mathusalah anni nongenti sexaginta novem, & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis & genuit Noe.* A die autem natiuitatis Mathusala usq; ad diem natiuitatis Noe, sunt anni trecenti sexaginta novem, his adde sexcentos annos Noe; quia in sexcentesimo vita ejus anno factum est diluuium. Atq; ita fit, *UT NONGENTESIMO. SEXAGESIMO NONO ANNO VITÆ SUÆ Mathusala mortuus sit, EO ANNO, QUO CÆPIT ESSE DILUUIUM.* Hæc pereruditè Hieronymus.

§ 9. Falluntur igitur, qui neglectis fontibus Hebraicis versionem Septuaginta Interpretum ita vitiatum in numerandis Mundi annis sequuntur. SETH. CALVISIO bene monente. Ifagog, Chronol. part. 3, cap. 27. fol. 118. b. Neq;  
tutum

tutum erit Codicem Græcum corrigere ex Latinâ vulgarâ, ut fieri debere prætentunt GREGORIUS de VALENTIA *In Anal. lib. 8. cap. 5. pag. 348. & Tom. 3. Disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 43. col. 313.* Et HENRICUS HENRIQUEZ, *Lib. ult. Theol. Moral. cap. 10. §. 11. lit. 9.* cùm illa ipsa multiplici vitio scateret, fatentibus vel ipsis Pontificiis, ISIDORO CLARIO, Episcopo Fulginensi *In Prefation. ad Biblia Latin. ipsius operâ edita.* JACOBO FABRO Stapulensi. *In Prefation. Annotation. ad Nov. Test. & propterea correctioni obnoxia est, dicente FRANCISCO LUCA, Canonico Brugensi, In Epistol. ad Sirletum, præfix. Annotationib. in Bibl. edit. Ant. xv. anno 1580. atq; eget, ut ex Fontibus emenderetur ad exemplum AUGUSTINI, Chisanensis Episcopi, apud Sixum Senensem Lib. 5. Bibliothec. Sac. annot. 83. & prædicti ISIDORI CLARII, qui ingenuè faterur, se, quamqvâm summâ moderatione Biblia Latinæ Versionis tractarit, octo tamen millia loca à se annotata, emendasse ex fontibus. Sic & Arias Montanus, quod in Prefatione Operis Regii verbis docuit, videlicet, rivulos versionum ex Fontibus corrigendos esse, illud praxi & opere suo comprobavit.*

§. 10. Apud nos maximè valet editum D. Augustini, qui pro Canonicâ Hebræi Codicis autoritate omnimodò spectandâ disputationem de supputatione annorum Patriarchalium concludens, HANC MAXIMAM de versione Septuaginta Interpretum corrigendâ è *Textu Originali & Primigenio* sub finem generalem *Lib. 15. de Civ. Dei cap. 13. fol. 458. Tom. 5. oper. tradit: Sed quomodolibet istud accipitur, siue credatur ita esse factum, siue non credatur, rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut, cùm diversum aliquid in utrisq; codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum UTRUMQUE ESSE NON POTEST VERUM, EI LINGVÆ potius*

cius credatur, UNDE EST IN ALIAM per Interpretes  
 TRANSLATIO facta. Quæ circa reliqua Veteris Testamen-  
 ti intervalla occurrunt dubia, eruditè pertractat, nodosquè,  
 qui difficultatem aliquam habere videntur, accuratè solvit  
 JOANNES VVICHMANNUS, *Lib. 2. Chronolog. Sacr. passim.* ab  
 alacri rerum abstrusarum disquisitore adeundus. Nostrum  
 jam non est singula heic evolvere, ne excrescat Tractatus  
 in volumen integrum. Ad persequendum nunc paucis tem-  
 pus Novi Testamenti excurrit oratio.

DISSERTATIONIS II.  
 HISTORICO-CHRONOLOGICÆ  
 PERICOPE III.

*ÆRÆ CHRISTIANÆ, rationumq̃, quæ invaluerunt  
 in Ecclesiâ exordiri supputationes, ASSIDUA  
 INDAGATRIX,*

S. II.

**Q**UOD ergò tempus posterius, NOVO TESTA-  
 MENTO adjudicatum, attinet, comprehendens,  
 ut diximus, *Dies MESSIÆ*, per æqualia quidem  
 secula cummuniter partiuntur Computistæ, æqualiter verò  
 idem ab omnibus ejusdem initium haud notari animadver-  
 timus. Nonnulli enim à CHRISTI INCARNATIONE, quidam  
 ab Eiusdem NATIVITATÈ, permulti à CIRCUMCISIONE, alii  
 à PASSIONE & RESURRECTIONE, vel, quæ hancè mox inse-  
 cuta est, ASCENSIONE, annos incipiunt, quibus accedunt  
 & illi Veterum Theologorum, qui à DOMINI PRÆSENTIA  
 numerare annos consueverunt.

C

S. 12, Ab

§. 12. Ab *INCARNATIONE* quidem *ÆTERNI PATRIS VERBI*. Joh. cap. 1. v. 14. aliqui annos novissimorum temporum notant, quos jure optimo nominant *ANNOS GRATIÆ & SALUTIS*, quòd *GRATIA DEI & SALVATORIS NOSTRI* à multis retrò seculis promissa demum in plenitudine temporis apparuerit, postquam *UNIGENITUS DEI FILIUS* in utero virginis modò admirabili conceptus, *HOMO* natus est. Luc. cap. 1. v. 31. 35. Tit. cap. 2. v. 11. Galat. cap. 4. v. 4. Ita deducit calculum Ado Viennensis in *Chronico suo*, de tempore Synodi decantatissimæ Nicænæ primæ agens: *ANNO*, inquit, *POST INCARNATIONEM DOMINI* trecentesimo vigesimo secundo, die Mensis, secundum Græcos *DESI*, vigesimo nono, quòd est, decimo nono *CALENDARUM JULIARUM, CONSULATU PAULINI & JULIANI, Nuncupatur celebratur Consilium*. Et in Historiâ aliâ scribit: *ANNO INCARNATIONIS DOMINI DECVIII. Drogo, filius Pipini defungitur hybernali tempore*. Huac autem morem numerandorum annorum ab *INCARNATIONE CHRISTI* in Ecclesiam fertur invexisse Dionysius cognomento Parvus (Græcè *μικρός*) dictus, natione Scythæ, quem etiam nuncupant Abbatem Romanum. Qui, sicuti colligitur ex Epistolis Bedæ venerabilis, ex his, quæ idem Beda tradit cap. 47. *Lib. de Naturâ rerum*, autor fuit Christianis notandorum ita temporum, quo memoria Diocletiani tyranni, hostis Nominis Christiani præcipui, tolleretur ex ecclesiâ & expungeretur. Item, ut scirent, qui Christianismum profiterentur, sibi *CHRISTI DOMINI* in temporibus, quorum est Autor & quibus nobis salutem atq; gratiam attulit *DEI PATRIS*, memoriam esse usurpandam, Bedæ hac de re verba sic habent,

habent,

habent; *Primo decem novennalis circuli versus temporum ordo præfigitur, quem Græci calculatores à Diocletiani Principis annis observavere: sed Dionysius venerabilis, Abbas Romanæ urbis & utriusque Lingua, Græcæ videlicet & Latine, non ignobili præditus scientiâ, Paschales scribens circulos, noluit eis, sicut ipse testatur, memoriam impii & persecutoris innectere, sed magis elegit, AB INCARNATIONE DOMINI nostri JESU CHRISTI annorum tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humana, id est, passio Redemptoris nostri evidentius eluceret.* Hæc notanter Beda. Idem ex Viri hujus venerabilis commentariis intelligimus, qui in Justiniano ita inquit; *Dionysius Paschales scribit circulos, incipiens AB ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DXXXII. qui est annus Diocletiani CCLXVIII. post Consulatum Lampadii & Orestis, quo anno Codex Justinianæus orbi promulgatus est.* Confer, si liber, Johan. VVichmanni *Chronolog. Sac. Lib. 1. part. 2. membr. X. de Ærâ Christianâ, pag. 51.* Et licet in Ecclesiâ Romanâ veteri non observata fuerit ratio numerandi annos, à **DOMINI INCARNATIONE**, cum in Pontificum rescriptis & diplomatibus, quas **BULLAS** nominant, annotaretur annus Pontificis pro tempore sedentis, capit tamen deinceps observari in nonnullis adscriptionibus id Tempus Incarnationis Domini, quemadmodum ex Johanne Lucido liquidò constat, qui Lib. 1. de E-mendatione Temporum cap. 10. sic scribit; *Sed olim in Bullis Pontificalibus non annotabatur annus Domini, sed*

C 2

annus

annus Pontificis *pro tempore Præsidentis* : At Recentiores in Bullis tantummodo Pontificalibus incepterunt annos ab INCARNATIONE annotare : In cæteris verò sequuntur antiquum Romanæ Curiz morem, annos describentes à NATIVITATE DOMINI. Dicit enim DN. Paulus Episcopus Forosempronienſis *Lib. 13. part 2. Paulina sua*; Eugenio quarto Præsidente, adhortatore Blondo Forlivienſi, Pontificiæ Collegiis à secretis Notario, in Bullis atq; reſcriptionibus Pontificalibus annorum hæc à CHRISTI INCARNATIONE ſupputatio ſcribi primùm cepit : Sed Notarii à NATIVITATE annos computare conſueverunt. Qua de re prolixiùs agit LUCIDUS in Opusculo de vero paſſionis Chriſti die. cap. 3.

§. 13. Atq; ita Eccleſiam Romanam antehæc annos à NATIVITATE CHRISTI numerâſſe idem JOH. LUCIDUS, d. loc. ſar multis ex Actis Concilii Conſtantiienſis & Reſcriptis inde Pontificum ab anno DOMINI 1300, editis, probat, in quibus ipſi anni vigiliâ NATIVITATIS DOMINI concluduntur, & iterum ſequenti Ejusdem NATIVITATE incipiunt. Serò tamen hæc notandorum à NATIVITATE CHRISTI temporum ratio recepta videtur, ut certi, & quod omnes indiſtinctè ſequerentur, vix quicquam in Romano Imperio ante annum DOMINI quingentimum triceſimum conſtitutum fuerit, cùm Imperatorum Chriſtianum Nomen averſantium magna eſſet uſq; ad illa tempora in Occidente viſ & potentia, quibus vulgò parebatur. Ad hæc conſuetudinis magna eſt tyrannis, quæ ſemel ſuſcepta mordicùs, ut Beroldus loquitur. *Lib. 2. Chronic. Sac. cap. 1. pag. 236.* retineri cupit.

§. 14. Græci quoq; diverſam ſequuti rationem propter priores uſu receptas conſuetudines, deinde ob Imperatores,  
de



de quorum nominibus signabantur fasti, partim à Mundo conditò, partim ab Alexandri Magni Imperiò, Nativitatem CHRISTI non spectantes, annotarunt annos, quod præ cæteris ex Canonibus Græcis Lutetiæ impressis apparet, utpote in inscriptionibus Nicænæ synodi primæ. pag. 7. Et Nicænæ secundæ synodi pag. 110. Et in Tomo Conciliorum primo, Parisiis anno 1535. edito, per Franciscum Regnault, additur initio præfationis Concilii primi Nicæni, anno ab ALEXANDRO 336. Mense Julio 13. Calend. Julii.

§. 15. *Indictionibus* præterea sunt usi cum Græci tum Latini, jam inde à temporibus Augusti, ut quidam Computistæ censent. Onuphrius Panvinius autem, Italus Veronensis, factum & observatum id fuisse Constantini Magni ætate existimat. Ut ea ratio notandarum Indictionum invaluerit, videtur in causa fuisse Justinianus Imperator, cujus de temporibus notandis, actisque consignandis publicis extat Edictum. In *Novellis* enim, *Constitutione XLVII.* Ut Imperatoris nomen, & Consulis, & *Indictio*, unà cum *Mensis die* in Actis publicis, sive diplomatibus conscriberentur, Anno Imperii sui undecimo edixit hæc verba: *Sancimus, ut, quicumq; actis publicis conscribendis inserbunt, sive in judicio, sive ubicumq; tandem acta consistunt, Tabelliones quosq; & in summa, qui, quacumq; formâ ac ratione, instrumenta conscribunt, sive in ampla hac Urbe, sive apud alias Gentes, in quas summam Imperium nobis concessit DEUS, ad hunc fermè modum incipiant instrumenta: SACRATISSIMI hujus AUGUSTI & Principis, hoc & hoc anno. Et post hæc inferant Nomen CONSULIS, qui eo anno cum Magistratu sit. Tertio loco INDICTIONEM, quam deinde consequatur Mensis & Dies. Ita Constitutio.*

§. 16. Ex qua videmus, quid observare debuit non solum *Roma*, sed & illâ ætate *Græcia*, in temporibus adnotandis. Et cum prius *Romæ* de nominibus *Consulum* signarentur

tur facti, postea *de nomine Imperatorum, additis Consulibus*, signari eosdem necesse fuit. Unius Consulis tantummodo in hac constitutione meminit Justinianus, quod Anno DOMINI 528. Imperator solus II. Consul fuerit in Oriente: Decius verò anno DOMINI 529. sine Collegâ in Oriente Consul ester. Deinceps Anno 530. ambo Consules in Occidente designati fuerant Lampadius & Orestes. Annis DOMINI 531. & 532. sine Consulibus fuit Respublica tam in Oriente quàm in Occidente. Anno 533. Justinianus Consulatum tertium gessit sine collegâ. Et demum anno DOMINI 534. Justinianus Bizantii Consulatum iniit, ejus tunc Romæ collega fuit Decius Theodorus Paulinus. Post hunc Romæ & in Occidente Consules creari desierunt, Gothico impediente bello, ut annotavit ista diligenter Onuphrius *in Lib. 3. Fastor. pag. 425.*

§. 17. Communiter *in Ecclesiâ Occidentali* instituitur supputatio annorum à CIRCUMCISIONE DOMINI, ipsis *Januarij* Calendis, quòd eo die incipiat AERA CHRISTIANA, qua vulgò utimur, novumq; Christiani inchoent annum. Johan. Kromayer, *Judicul. Histor. Ecclesiastic. Monarch. 4. art. 4. pag. 380.* Dionysius Petav. *Lib. 2. Rationar. Tempor. part. 2. cap. 2. pag. 77.* Equidem Romani ante Numam Pompilium, *Syrorum more*, annum exorsi sunt ab *Æquinoctio verno*, Mense Martio, post Numam autem à *Solstitio hyberno*, Mense *Januario*, Mos iste, annum à *Calendis Januariis* innovandi, longo Romanorum usu confirmatus, simul cum eorum Imperio ad Nationes subiectas transiit, & etiamnum inter Christianos tandem receptus est. Matth. Chesneux *in Chronograph. parerg. 1. §. 1. fol. 444. & §. 2. fol. 448.* non computatis septem illis diebus, qui sunt ab eo die Decembris, quem volunt NATALEM DOMINI, usq; ad

ad primum Januarii, idem faciunt Astronomorum quidam, qui radices motuum statuunt *initio Januarii*. Retrocedunt, qui loca Planetarum ad horam Nativitatis Christi invenire volunt, per dies septem à radicibus istorum Syderum præcipuorum in Tabulis annotatis, ut ait Joh. Lucidus *Lib. 1. de emendatione temporum cap. 10.* AÆram autem Christianam, qua nunc in initiandis annis notandisq; vulgò utimur, non esse (ut quidam scribunt) Dionysii exigui, sed ipsius Bedæ, contendit VVilhelmus Langius *Lib. 1. Chronol. cap. 1. pag. 6, & 7.*

§. 18. Veterum nonnulli annos à DOMINI præsentia numerarunt, quemadmodum Philastrium, Libro de Hæresibus, scripsisse legimus; *A captivitate Babylonicâ ad DOMINI nostri PRÆSENTIAM, annos pene esse D. & inde à DOMINO ad sua tempora CCCCXXX.* Præsentiam autem DOMINI videntur Latini dixisse eam, quam Græci nominant ἐπιφάνειαν, alio vocabulò θεοφάνειαν, UEL apparitionem, exhibitionem, seu præsentiam hominibus primo factam. Gregorius Nazianzen. *Oration, 38. in Nativitatem Christi. Tom. 1. oper. fol 231. a.* Vocem illam Scriptores Ecclesiastici variè sunt interpretati, quidam retulerunt eam ad Christi conceptionem, alii ad Eiusdem Nativitatem, alii ad stellam, qua duce Magi Jerusalem, & deinde Bethlehem sunt deducti. Favorinus & Suidas ἐπιφάνειαν definiunt; τὴν τῆ σαρρῆς ἡμῶν ἰσοῦ χριστὸς ἐνσαρνον οὐκροπίαν, Servatoris nostri Jesu Christi incarnationem ordinatam seu constitutam. Orosius *lib. 6. rap. 20.* hac de re ita scribit; *Porro autem hunc eundem esse diem, hoc est, octavum Idus Januariæ, quo nos Epiphaniam, hoc est, apparitionem, sive manifestationem DOMINICI sacramenti observamus, nemo credidit, sive etiam fidei contradicentium, ne fecit.* Oro hio itaq; & illis, quos  
Oro-

Orosius sequitur, NATALEM DOMINI idem esse ac Epiphaniam videmus. Neque latuit ea sententia Chrysostomum, qui tanquam velitatione eam per præteritionem eludit, in Sermone, quem habet de DOMINI die Natali, inquit; *Alii putant, quod in Epiphaniis nascitur, Non damnamus aliorum opinionem: Nostram sequimur doctrinam. Nos ergo dicimus, quod hodiè Christus natus est, in Epiphaniis renatus.* Et quia dies Epiphaniarum seu Epiphaniæ refertur ad stellæ apparentiam CHRISTIQVÈ renascentiam, sive manifestationem Magis factam, Perfarum Sapientibus, qui novâ illa luce, seu stellâ duce, ad CHRISTUM Mundi Salvatorem venerunt, non existimandum, idem esse tempus NATI DOMINI, & stellæ Magis oblatæ. Anno enim altero à Nato CHRISTO, Herodis videlicet anno tricesimo quinto, sicuti notat Epiphanius. *Lib. 2. Contrà Hæreses. Tom. 1. oper.* Magi venerunt Jerusalem ad Herodem, quod etiam colligunt Dd. *ex cap. 2. Matth. v. 16.* ubi dicitur Herodes timens regno suo pueros Bethlehemiticos à bimato & infra sustulisse, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Oportuit igitur Herodem didicisse à Magis, ajunt, CHRISTUM Regem Judæorum novam jam prope bimatum attigisse, stellâ novâ, quæ in Oriente apparuerat, notabili indice. Quò facit, quod ab Epiphania *Lib. 2. de Hæresibus, Tom. 1. oper.* est adnotatum verbis proximè sequentibus.

*Tricesimo tertio Herodis nascitur Christus.*

*Tricesimo quarto venerunt Magi.*

*Tricesimo septimo Herodes mortuus est, & successit Archelaus, filius ipsius, in Regnum, qui regnavit annis novem.*

§. 19. Cæ-

§. 19. Cæterùm dies Mesfiæ modò *à passione*, modò *à resurrectione*, modò *ab ascensione*, vicinis inter se rebus, enumerant. Sic Hieronymus *Commentar. in sophonia cap. 1. v. 17.* scribit; *Post annos quadragint & duos DOMINICÆ PASSIONIS, circumdata est ab exercitu Jerusalem, & consummatio illius facta est cum festinatione, non solum illius, sed cunctis terra Judæa habitatoribus.* Isidorus etiam multis Historiæ locis eâdem ratione utitur in temporibus CHRISTI dinumerandis. Morem eundem Veteri Ecclesiæ Romanæ aliquandò fuisse, testatur Beda. *Libr. de Naturâ rerum cap. 47.* Annuatim, *inquiens*, suis in cereis inscribere solet, *ubi tempus dominicæ PASSIONIS in memoriam populis revocans, numerum annorum triginta semper & tribus annis minorem, quam ab Ejus incarnatione Dionysius ponit, annotat.* Deniq; anno ab Ejus incarnatione juxtâ Dionysium septuagesimo primo, Indictione quartâ decimâ fratres nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se à Natali Domini in cereis sanctæ Mariæ scriptum vidisse & inde descripsisse referebant: *A PASSIONE DOMINI nostri JESU CHRISTI anni sunt. DCLXVIII.* Hactenus Beda. Calculum suum Gregorius Turonensis figit termino *Resurrectionis & Ascensionis DOMINI.* Leo Magnus, Manichæum scribit eo tempore damnandum innotuisse, quo *post RESURRECTIONEM DOMINI* ducentessimus & sexagesimus annus impletus fuerit

D

Pro-

Probo Imperatore, Paulinoq; *Cos. serm. 2. de Pentecoste. col. 215. oper. 2.* Ubi notetur, quod computationem instituit, non à NATIVITATE, sed à RESURRECTIONE Christi. Et inde multi inchoarunt *tempora Messia* enumerare, qui videntur id sensisse, quia ASCENSIONE DOMINI completa fuerunt omnia, quæ Christo perferenda erant pro nostrâ expiatione, peragenda nostræ salutis causâ, temporum felicitium ibi statui oportere principium. *statuimus*, inquit D. Leonh. Huttenus, INCHOATIONEM NOVI TESTAMENTI, licet ea à temporibus Johannis Baptista initium aliquod & splendorem sit sortita, plenior tamen, & NOVI TESTAMENTI PROPRIAM REVELATIONEM ad ea tempora referendam esse, quæ sunt Ascensionis, quæ vel ASCENSIONEM CHRISTI IN COELOS sunt secuta, quæq; dispersionem Apostolorum in universum terrarum orbem, tanquam signum ac symbolum ymnior & adæquarum, conjunctum habuerunt. In Loc. Theologic. Artic. XV. de Discrimin. Vet. & Nov. Testam. quest. 2. cap. 1. fol. 498. b.

S. 20. Impendendos abhinc destinavit MESSIAS dies suos Regno GRATIÆ, Ecclesiam sceptro verbi erecto gubernans. *psal. 45. v. 7.* quorum specialem enodationem proximæ Dissertationi volumus reservatam. Et illis demum REX RÆGUM & DOMINUS Domi-

Dominantium finem imponet, quando venerit in nubibus cum potestate multâ & gloriâ magnâ. Matth. cap. 25. v. 31. Luc. cap. 21. v. 27. Tunc erit finis, inquit Apostolus. 1. Corinth. cap. 15. v. 24. & 25. quum traderit regnum DEO PATRI, quum aboleverit omne Imperium, & omnem Dominatorem, & omnes Potentes. Nam oportet Eum regnare usq; qvò omnes inimicos suos posuerit sub pedes suos,

F I N I S.












ULB Halle  
005 393 760

3




VD 17 Rest. 15cm.  
9/00





nunc dissertationem hanc Tractatus Historico-Chrono-  
logici prim  
bis Esa. cap.  
1. Petr. cap.  
fundam  
prob  
fi



B.I.G. NDA,

mento-  
ris successio-  
remonstrans,  
Christiane  
x qua

dans.

*Quam*

TRIBUS PERICOPIS

Absolutam

SUPERIORI

*adjeit*

JOHANNES LUDOVICUS RUELIUS,  
Ecclesiae Divinis Elogiis, Sacrisque  
Mysteriis,  
Mystra & Interpres.

Ære Exscriptoris officiali, ÆRÆ CHRISTIA-  
NÆ ANNO 1665.

